

C V D

A T G G

1 3 7 2

100
100

9. 4. 61

6
w

Theologie

E. VII 441.

CONCIO DE

LATRONIBVS VNA

CVM CHRISTO CRUCIFIXIS,

qua unius securitas, & alterius vera pœ-

nitentia, fidesq; adeò mirifica descri-

bitur, ut Apostolorum & Prophe-

tarum fidem superare

videatur.

ADIECTIS EX PIA VETV-

state Patrum testimonijs, quòd non aliter

saluentur homines, quàm latro

dexter est saluatus.

Autore Hermanno Hamelmanno

Theologiæ Licentiato.

Cum præfatione D. Lucae Bacmeisteri.

ROSTOCHII

Excudebat Iacobus Lucius

Anno 1569.

CONCILIO DE

LATRONIBVS VN

CVM CHRISTO CRUCIFIXIS

per unum scripturam & aliam scripturam de

scriptura de hoc & ad hoc scriptura de hoc

bitur, et Apollonius & Paphos

in unum scripturam

videtur.

ADICTIS EKPIA VETV

huc Partem testimonij, quod non aliter

salvatorum hominum, quod in libro

deus est saluator

Autore Ferruccio Hamelmanno

Theologicis Doctoro

Cum gratia D. Jacobi Buchnerii

ROSTOCKII

Excelsit Jacobus Lincius

Anno 1589



MAGNIFICO

ET CLARISSIMO VI-

RO, NOBILITATE GENERIS,

doctrina, sapientia & virtute excellenti

D. Ioachimo Minsingero de Frundeck,

Iuris utriusq; Doctori, & Illustrissimæ

principis IV LII, Ducis Brunsvicen-

sis & Luneburgensis Cancellaria-

rio, Domino suo colen-

do S. D.



MAGNIFICE & cla-

rissime vir. Non dubi-

to Ex. T. sæpe intueri

& considerare presen-

tem Ecclesie statum

tristem sane & turbu-

lentum, atq; una cum reliquis pijs, assi-

duis & ardentibus votis rogare Deum, ut

non tantum veritatem, quam è tenebris

Papisticis erutam, Germaniæ divini illius

Lutheri opera restituit, incorruptam con-

servet, verum etiam pacem salutarem in-

ter Ecclesie doctores tribuat, ne dissidijs

ac certaminibus praesertim non necessarijs
scandala excitentur, & propagatio veri-
tatis impediatur. Vt enim pius Rex Eze-
chias, denunciatis per Prophetam secutu-
ris malis, reliqua quidem omnia diuino
consilio & voluntati permittit, Illud vero
vnum sibi contingere optat, vt tantum
pax & veritas fiat in diebus suis: Ita nunc
quoq; Illustriss. principis tui, & aliorum
piorum Magistratum, tua, omniumq; qui
vera pietate Deum colunt, eadem esse vo-
ta certo mihi persuadeo. Vtinam vero non
solum principes viri, & hi qui in aulis
autoritate, sapientia & consilio valent,
sed cum his etiam praecipui Ecclesiarum
gubernatores, de veris ac iustis rationibus
cogitarent, easq; quam primum expedi-
rent, quibus veritate illustrata, & ex di-
uini verbi simplicitate, remotis omnibus
affectibus definita, salutaris & sancta Ec-
clesiae pax restitueretur. Sed haec forte opta-
ri magis quam perfici, in tanta animorum
exulceratione, & miserabili indiesq; cre-
scente distractione, possunt.

Interea

Interea autem hoc beneficium Dei
agnoscamus, & grata mente ac voce præ-
dicemus, quòd in aliquibus regionibus &
urbibus piam hæcenus Ecclesiarum con-
cordiam, cum puritate doctrinae coniun-
ctam conseruauit: quam etsi Diabolus in-
terdum conuellere conatus est, & cona-
tur, tamen Deus pacis molitiones ipsius re-
pressit, & deinceps quoque propter gloriam
nominis sui reprimet. Vult enim in tanta
opinionum, cultuum & morum confusio-
ne, aliquos esse pios cætus, qui idem mu-
tuò sentiant & loquantur, secundum Ie-
sum Christum, & seruent unitatem spiri-
tus per vinculum pacis, ne vel doctrina
fiat incerta, vel veritas prorsus amitta-
tur, quod nimium altercando fieri solet.
Nam tales cætus custodes & testes sunt
veræ doctrinae, ac lucent velut luminaria
in mundo, sermonem vitæ sustinentes, ut
Paulus ait, & horum consensu multi con-
firmantur. Ad hos igitur cætus nos adiun-
gamus fide, confessione, & inuocatione,
ac fouere studeamus piam coniunctionem

omni humilitate, mansuetudine, animi
lenitate, tolerantia & alijs officijs, qua
vincula sunt consociationis.

Laudanda igitur, & ad omnem poste-
ritatem celebranda est & pietas Illustriss.
principis tui, quod quamprimum guber-
nationem suscepit, veram & sinceram
Euangelij doctrinam, sublatis idolis &
imposturis Papisticis, in tota ditione sua
predicari voluit, & reliquis Ecclesijs Sa-
xonis, qua magna ex parte adhuc, Dei
beneficio, pium in doctrina & ceremonijs
consensum retinet, se in confessione eius-
dem doctrinae coniunxit. Recte enim iu-
dicavit Celsitudo ipsius, nullum maius decus
aut principe bono dignius esse, quam Regi
gloria portas aperire, eumque hospitio exci-
pere, & osculari, ac se suosque subditos hu-
ius Regis cultui & obedientiae addicere.
Nec dubium est, tuum quoque consilium &
autoritatem, ad rem tantam feliciter &
inchoandam & perficiendam, plurimum
momenti attulisse. Verè enim scriptum
est à Syracide: In manu Dei est, ut magi-
stratibus

stratibus aliquid succedat feliciter. Ille enim dat consiliarios bonos, & Cancellarium dignum laude. Celebris est apud omnes bonos & doctos eximia tua eruditio, sapientia & eloquentia, quam doctissima etiam scripta, quæ in omnium manibus sunt, testantur. Hæc excellentia dona Dei, si ea, ut facis, deinceps quoque ad prouehendam et ornandam Dei gloriam, & fouendas Ecclesias, ac veritatem & pacem in eis tuendam, contuleris, magis etiam ad totam posteritatem, cui profuerunt, celebrabuntur.

Est autem inter reliquos Ecclesiarum in inclyto Ducatu Brunsvicensi Doctores, virtute & fide præstantes, clariss. vir insigni doctrina et pietate L. Hermannus Hamelmannus, qui nunc Ecclesiam in Gandersheim & vicinas gubernat. Hunc, cum veritatem & pacem imprimis diligat, & multis utilibus scriptis consensum piæ vetustatis cum doctrina Ecclesiarum nostrarum demonstrarit (sicut est tum in scriptura sacra, tum in Patrum lectione

A 4 versa.

versatissimus) & T. Ex. & bonis omnibus
gratum & commendatū esse decet. Qua-
re & hunc libellum, bono studio ab ipso
collectum, & à Typographo nostro excu-
sum, quamvis breuem, sed tamen de re
omnium maxima, de modo scilicet eter-
ne salutis consequenda agentem, quem
multis istic recens ex Papatu conuersis
profuturum spero, T. Ex. mitto, dedicoq̄.
Ac simul reuerenter peto, ut nec meam
voluntatem improbes, nec Hamelmanni,
quem Academia nostra ut singularem
alumnū diligit, patronus esse desinas.
Filiū Dei toto pectore oro, ut vulnera
Ecclesie suæ sanet, & opus quod in vobis
cæpit, confirmet, nosq̄ omnes doceat &
regat. Benè & fœliciter valeat Ex. T. Ro-
stockij Calend. Nouembris. Anno 1569.

Ex. T.

reuerenter colens

Lucas Bacmeisterus.

CONCIO EX

PASSIONE DOMINI

DE LATRONIBVS VNA CVM

Christo Crucifixis, qua vnius securitas, & alterius vera pœnitentia, fidesq; adeò mirifica, vt etiam omnium Apostolorum fidem superet, describitur.



VIDEMVS HANC

concionem in quatuor partes. Primo dicturi sumus de unius securitate. Secundo de alterius vera pœnitentia ac eius fructibus. Tertio de admirabili eius fide. Quarto de bonitate ac facilitate Christi erga Latronem.

LOCVS PRIMVS.

DVO Latrones totum humanum genus significant, in cuius medio pendet Christus, qui fit pro nobis uictima, cum ipse sit innocens. Sunt autem imago omnium nostrum, qui propter peccatum obnoxij sumus morti & uarijs calamitatibus,
A S ueluti

ueluti & illi propter facinora sua tradebantur
morti, & nos singuli nostris peccatis mortem fi-
lij Dei adiuuimus, imò aliqua pars generis huma-
ni conuertitur, aliqua non conuertitur, sed manet
in furore, & in ipsa etiam morte deridet Chri-
stum. Patiuntur & affliguntur tam pij quam im-
pji, tam boni quam mali, at non eadem de causa,
licet peccata sunt omnium malorum & calamita-
tum omnium causæ. Cogitemus ibi pendere totum
genus humanum, ut reuera omnes uarijs calami-
tatibus & morte ipsa, speciem latronum ipsam
referimus. Affligitur in medio hominum ipse
Christus hominibus patientibus ex æquo uicinus.
Affligitur in impijs, quando eum in cruciatibus
blasphemant, in pijs, quando illi miserijs afficiun-
tur, iuxta illud Matthæi 25. Quicquid minimo
facitis, mihi facitis. Qui tangit uos, pupillam
oculi mei tangit Zach: 2. Alter Latronum quam-
uis corpore uicinus esset Domino, animo tamen
ab ipso, longissimo distabat interuallo, ideoq; ty-
pum gerit impiorum qui affliguntur, quoniam ipsi
non agnoscunt percutientem Dominum & uicia-
num, nec humiliantur sub potenti manu Dei. Oma-
nia putant casu fieri, neq; seipsos, neq; sua bona
Domino committunt. Latro à sinistris, postulat
temporale à Domino beneficium, nempe exter-
nam corporis liberationem à præsentis periculo
dicens:

dicens: Si tu es Christus ille Rex populi Israëlitici, serua te ipsum & nos, quod cum non faceret, conuitijs & blasphemijs ipsum Dominum adobruit. Sic hodie multi solent conuitia in Euangelium & eius ministros euomere, quando spe frustrati, ex Euangelio fructus illos non metunt, quos eo seminari præter ius & fas arbitrati sunt: nam licentiam quiduis faciendi sibi concedi postulant. Quare omnes, quotquot seruantur, seruantur ut pendens à dexteris, & non aliter, item quotquot pereunt, pereunt ut pendēs à sinistris & non aliter. Vt autem à sinistris pendens non agnoscit peccatum, non agit poenitentiam, non confitetur errata, non credit Euangelio de gratuita remissione peccatorum per fidem in hunc solum Christum, licet miserè crucifixum, sed in medio supplicio ironijs subsannat & deridet Christum, perseuerans in securitate, ita alter uerè conuertitur. Et quanquam uterq; fuerit aequè reus, & iuxta seculum nihil inter illos fuerit discriminis, tamen hic perijt, alter uerò seruatus est, sed per Christum. Habemus igitur hic imaginem extremi iudicij, quia ut Matthæi 25. legitur, constituentur à dexteris electi, à sinistris reprobi & damnati, tumq; erit blasphemia in ore reproborum, qui etiam maledicent tempori natiuitatis suæ. Videamus igitur ex circumstantijs, quàm misere hic latro pereat.

I. Mortis

1. Morti obnoxius & iam uicinus, non ad se redit, ut peccata sua agnoscat, & ad Deum conuertatur.

2. Licet & ipse in cruce pendeat, commiserari tamen nequit ei, quem uidet similiter cruci affixum & eadem calamitate affectum, sed quod omnium erat inhumanissimum, irridet etiam & conuitijs insectatur.

3. Peccatum non intelligit malorum causam, non considerat præcedentia miracula, testimonium Pilati frequens de eius innocentia, & Mulierum fletum negligit, non obseruat ipsius patientiã et mansuetudinem, non curat solis obscurationem, et alia terribilia signa, quæ circa mortẽ Christi fiebant, quibus nisi planè ferreus fuisset, moueri debuisset.

Bis sunt miseri & corpore & animo homines in doloribus positi, cum eum aspernantur, à quo uno liberari ac saluari poterant. Et quemadmodũ hic loquitur: Si tu es Christus, serua te ipsum & nos, ita & isti sibi persuadere solent, qui doctrinam Euangelij à ministris pauperioribus & contemptis sine splendore, prædicatam irrident, ubi nihil emolumenti ad eos redit, quoniam Deus illorum uenter est. Pauperiores etiam, ubi non largiter datur, uel quantum cupiunt, mox uerbi prædicationem contemnunt, ac ministros uili faciunt. Hinc fit ut pauci per Euangelij prædicationem

nem saluentur, & salutaris illa de Christo doctrina contemnatur. Papa cum suis adiunctis, sibi supplices factos dicit præbendis, ornat & amplificat beneficijs, dignitatibus et prælaturis Episcopopatibusq; ut suum stabiliat regnum: Christus uero hoc tantum uult, ut sui habeant uictum & amicum, hisq; contenti sint. Si quis etiam prophano- rum hominum ægrotet corpore, modo non statim, ut ille uult, aut cum semel atq; iterum inuocauerit Dominum (quanquam diffidenter & dubitanter) non sanetur, mox in desperationem ruit, aut delabitur in contemptum doctrine ac ministerij, uel in blasphemiam fremebundus se inijcit, inordinata media quærens.

Sunt igitur hæc circa primum & impium illum consideranda, ut uideamus plurimos in humano genere per hunc Latronem denotari, apud quos est stulticia & offensio circa Euangelium Christi. Sed isti, quia uolunt cum hoc misero rueri, non acquiescentes pijs & salutaribus monitis, etiam in cruce positi, pereant ergo suo malo. Quare nos simus cautiores, ut & uerbo Dei acquiescamus, & salutaria monita reuerenter suscipiamus. Valde enim hoc nos commoueat, quod & hic in cruce, & mox postea tartarcos cruciatus, passus, & passurus sit sine fine miseras illas in flamma, in eiulatu, ploratu & stridore dentium. Quod nos uere ad pœnitentiam uocet.

Locus

SEQVVNTVR

NUNC ALIA CIRCA

*Pium, & à dexteris pendentem
consideranda, ubi in primis tria
sunt nobis expendenda.*

Primum quod suæ ueræ pœnitentiæ fructum protulerit, & seuera castigatione cohibuerit impiam socij sui petulantiam. Secundum est, quòd sese humilians ingenua scelerum suorum confessione, Christo debitam iusticiæ laudem tribuerit. Tertium est, quòd mirificam fidem testatus sit, se totum ac salutem suam reijciens in præsidium Christi, quamuis eum in cruce pendentem & morti propinquum cernebat. Quare nunc huius exemplum diligenter consideremus. Habemus in hoc misero homine singulare nobis inopinatæ ac incredibilem Dei gratiæ speculum propositum, tum quod repente sub mortem in nouum hominem mutatus est, atq; ab ipsis inferis in cœlum retractus, deinde quod omnium scelerum, in quibus tota uita demersus fuerat, ueniam in momento adeptus est, adeoq; ante Apostolos, & nouæ Ecclesiæ primitias in cœlum receptus est. Quis enim unquam putasset,

putasset, latronem inter ultimos spiritus non modo
dò piū fore Dei cultorem, sed eximium etiā
fidei & pietatis magistrum toti mundo, ut nobis
quoq; ex eius ore petēda sit ueræ ac legitimæ con-
fessionis regula. Est hic Ecclesiæ propositus à
Christo pendente in cruce, tamquam exemplum
& pictura istius doctrinæ: Prædicatē pœnitenti-
am & remissionem peccatorum in nomine meo
Luce 24. Significat etiā nunc Christus hoc pa-
cto, se semper excitaturum ex sceleratis, si ita o-
pus sit, doctores, tempore persecutionis, cum pijs
& boni pastores uel in cruce pendent, uel in sum-
ma afflictione sunt, ut nunc fuit Christus Præce-
ptor omnium & caput. Quando hostes Ecclesiæ
Scribæ & Pharisei omnium temporū triumphant,
quasi etiā doctrina una cum doctoribus sit op-
pressa, Deus tamen ex ijs etiā, qui pessimi habentur,
aliquos eligit præter omnium expectatio-
nem, quantumuis uilissimi & abiectissimi sint, qui
regnum filij sui confiteantur. Exempla & ueteris
Ecclesiæ, & nostri etiā seculi sunt nota. Adtunc
uidebatur de Euangelio cum Christus penderet in
cruce. Mater licet astans cum Marijs reliquis
(quæ tamen repræsentabant tunc temporis Eccle-
siam) luctu & mœstitia impeditur, ne multa lo-
quatur, nec forsā præ ingenti dolore potuit. Io-
annes licet præsens esset, tacuit tamen. Apostoli
reliqui

reliqui fugerunt. Et latro fit concionator, & Euangelista, & Apostolus. Imo in tali persecutio-
ne & in tantis, ijsq; summis Ecclesie periculis
prius oportuit, ut sol & saxa concionarentur,
quam uideri deberet extincta esse Christi Eccle-
sia, ut recte dicat Christus ingrediens urbem: Si
hi tacuerint, lapides loquentur. Iam quoq; scissu-
ra lapidum & alia signa, faciunt hic concionan-
tem Latronem, quibus motus, sine omni dubio ad
hanc Christi cognitionem peruenit, audita etiam
antea ipsius prædicatione, & cognita fama de
miraculis & doctrina, ut recte ex Luca appareat,
hoc colloquium Christi & latronis habitum esse,
cum in medio die lumen solis extinctum fuit. La-
tro igitur concionatur de sublimi, est ei concio-
nanti Cathedra crux, ubi aduersus irrisorem con-
cionatur, qui sequebatur doctrinam scribarum &
Phariseorum illudentium Christo. Audiamus igitur
quæ fuerit huius concio. (Ne tu quidem times
Deum) Hoc alij sic exponunt: Non times homines,
sed ne Deum quidem times. Alij ita: Parum est, si
isti Deum contemnant, nisi & tu quoq; contem-
nas? Rursum alij sic: Non solum non amas Deum,
sed ne quidem times. Verum hæc est simplex sen-
tentia: Quid hoc sibi uult, quod ne hæc quidem
damnatio te cogit ad timendum Deum? Nam socij
sui duritiem inde exaggerat Latro, quod ad ulti-
mam

nam necessitatem redactus, ne sic quidem Deum
timere incipiat. Reuocatur ad Dei tribunal im-
pius Latro, quia etsi tota uita stupidus fuisset, tunc
contremiscere oportuisset, quum sentiret arma-
tam Dei in se manum, & paulo post reddenda es-
set ratio omnium scelerum. Quasi dicat: Iam in me-
dia morte quasi expergiscens, debebas Deum tuum
Iudicem agnoscere. Illi enim uere resistunt, quos
pene ad humilitatem non erudiunt, quia pudore
confusos obmutescere oportet, quicumque præditi
sunt aliquo Dei timore. Discamus hinc, quo animo
fuerit erga Christum, ut probra & iniurias, quibus
afficiebatur Christus, non ferret, quia erat ipse
timore Domini percussus, & considerabat Chri-
sti innocentiam magis honorandam, quam deris-
dendam. Obseruemus etiam nos, ut quantumuis
peccatores simus, moleste tamen feramus, si quid
peccetur contra Dominum, & socios ac proximo-
s nostros reprehendamus: Et hoc est plerumque
initium conuersionis, si id quod contra Dominum
sit, displicere incipiat. Sed cur non Sacerdotes,
Phariseos, scribas, ac reliquos plebeios illuden-
tes increpabat Latro? Quanquam & illorum illu-
sionem ægerrime tulerit, quia dicit: Neque tu times
Deum, satis ostendens quid de illis sentiat, tamen
illos non reprehendit, quia uidet illos obstinatos,
& extra omnem sensum peccati, & extra poenam

B

in

in nulla miseria esse. Quare putat se apud illos
Laterem lauare, qui nunc se triumphatores & sea-
curos aestimant, & quos tam procaces uidet, ut
locus increpandi non fuerit: nec etiam hoc ab ipso
audiuissent. Sic Christus ipse cum educeretur, de
futura calamitate & ultione nihil ad istos, sed ad
mulieres sequentes & flentes, est locutus. Igitur
apud illos monere non erat oportunum: Erat au-
tem apud socium, quia crux ipsa & mors immi-
nens animum hominis permouere poterat, nisi pla-
ne impius fuisset. Sic ergo relictis illis quos deplora-
tos uidemus, aut certe correctionis nondum ca-
paces, corrigamus eos delinquentes, in quibus spe-
rare possumus resipiscentiam futuram, & maxi-
mè eos, cum quibus est aliquid nobis societatis
commune, aut etiam quos in cruce & calamitate
uidemus, ut inde sumpta occasione admoneamus
ipsos poenitentiae. Hæc enim hic latro indicare al-
teri uidetur, quasi dicat. Etsi isti huic innocenti
insultant, tamen tu hoc facere non debebas, sed
potius agnoscere peccata tua. Quod uero impius
ille latro Christi; derisor peccauit in Deum, hoc
non agnouit nec cogitauit, putabat se hominem
tantum, eumq; crucifixum, id est, cruce tanquam
blasphemum, damnatum, irridendo ledere, nec
intelligit huius sui peccati causam esse carentiam
timoris Dei. Ideo dicit hic, eum contra Deum pecca-
casse

esse, & non contra hominem. Vbi igitur non est
zelus uel timor Domini, ut inde omnia proficif-
cantur, ibi est nil nisi Dei & eius operum contem-
ptus, recte dicitur prouerbio. 15. Initium & prin-
cipium sapientiae, imo resipiscentiae etiam est ti-
mor Domini. Sic et in psal: 14. Cum Propheta cor-
ruptionem impiorum notare uellet, causam eius
adiicit: Non est timor Dei ante oculos eorum. Et
Abraham Genesis 20. Non cogitabat in isto loco
timorem Dei esse, ubi uxorem uocauit Sororem.
Quid etiam dicendum de praesenti seculo, quod
ita hoc retinet, ut etiam ueritatem & Christum
conuictis & irridendo ac persequendo insectetur,
quia nullo timore praeditum est. Ideoque saepius E-
uangelium non solum negligitur, sed & contem-
nitur & deridetur cum sua gratia. Sed pergit di-
cere, *Quod in eadem damnatione es?* Ille
erat hic cum omnibus hominibus filius irae naturae,
& poenis mortis subiectus propter peccatum: De-
buisse igitur ille timere Deum, uel ob hoc etiam,
& non esse irrifor aliorum peccatorum, vnd
nicht auff einen andern sehen. Deinde erat ab
ipso mundo damnatus, cum ipso quem irridebat,
& cum ipse inquam ut latro cruci adiudicatus
iam esset, non debebat igitur eum irridere, quem
poenae ac condemnationis consortem habebat, eti-
amsi is nocens & uere reus fuisset, imo tum meri-

to abstinuisset à conuitijs, quū uideret socium poe-
nae ab alijs premi insultationibus & irrisionibus.
Si enim est inhumanum, si quis extra uirgā & poe-
nam illum deridet, qui sub poena est, quanto dete-
stabilius est, si id fiat ab ijs qui in eadem damnati-
one sunt, & tū præsertim cum ab alijs grauari so-
cios uideant. Ergo admonet alter Latro impiū, ut
huiusmodi impietatis affectum exuat, & suam ma-
gis miseriam expendat, peccataq; propria potius
accuset quam aliorū. Hinc ait. *Nos quidē iuste.*
Magnum est, ut diximus, uitium, hominem miserū
irrideri ab eo qui extra periculum est, maius uero
ab illo qui in eadem uersatur miseria, maximum
autem est si quis innocens, cum iniuria & imme-
rito affligitur, & ab eo irridetur, qui nocens &
merito punitur. Homo hic impius & qui cruce di-
gnus erat, insontem, qui nihil mali gesserat, deri-
det. Hinc recte alter dicit, nos iuste patimur, dig-
na factis nostris rependuntur: Hic uero nihil ma-
li fecit: Et hæc uerba ita profert, ut uelit hunc
excitare ad timorem Dei, quasi dicat. Si iste inno-
cens tantas suffert poenas, quantas tu Latro &
derisor debes metuere? Non ait, ego iuste, aut tu
iuste, sed N O S. En propria peccata confitetur,
Magistratū agnoscit ordinationem diuinam, &
eos iure gladium gerere. Rom. 13. Non dubito,
quin hoc eo fine fecerit, ut tanto magis socium ad
pœnitentiam

poenitentiam traheret, & in agnitione peccati se-
cum duceret. Affirmat enim hic & ait, iustam esse
poenam, quae à Magistratu infligitur commertis,
& iustificat eorum & Dei, quo rei plectuntur, iu-
dicium, non extenuat sua delicta, sed iure & recte
se pati asserit, non calumniatur magistratum, non
indignatur iusticiae Dei et politicae, non execratur
Iudicibus damnantibus se ad crucem, non murmu-
rat contra crucifixores ut ut impios, sed patienter
merita mortem tolerat, quia agnoscit & deplorat
sua flagitia, quae cruce digna erant, praestat Deo
obedientiam iuxta illud Roma. 13. Qui Magistra-
tui resistit, Dei ordinationi resistit: perfert ergo
debitum suis peccatis supplicium, & ait se iuste pu-
niri. Et his uerbis testatur id se male habere, quod
Deum offenderit, & hortatur socium ad timorem
& ad poenitentiam: non desperat in sceleribus
maximis, non despondet animum in cruciatibus
grauissimis, sed sicut patientissime & citra mur-
mur patitur tormenta, ita recta fugit ad miseri-
cordiam Dei. Hinc igitur nos discamus, si extra
peccatum, quod nos Petrus docet & monet, pa-
tiamur (hoc enim in primis cauendum est, ne ut
flagitiosi peccemus & postea patiamur, sed ut
insontes ob confessionem & nomen Christi) ut
multo magis patienter in cruce nos geramus, &
speremus iuxta dictum Pauli, si hic cum Christo

patimur, cum illo etiam glorificabimur & regnaturi sumus, Rom. 8. 2. Timoth. 2. Si uero propter peccata patiamur publicè, uel à Magistratu, uel ita ut sciant omnes, id nobis mali propter peccata nostra contingere, fateamur cum eo, delictum, et nos istis pœnis dignos esse, et sic Dei iusticiã cohonestemus, ut non desperemus, ueluti hic fecit. Deinde discamus hinc, in media morte et cruce extrema non desperandũ propter multitudinẽ peccatorum, nec in Deum murmurandum esse, sed decere nos esse patientes, et præstare obedientiam, agnoscere peccatũ et patienter omnia ferre, confugere ad filium Dei. Talem pœnitentiæ doctrinam à nobis requirit Deus, ut fateamur in quacumq; cruce nos dignam factis recipere mercedem et maiorem promeruisse. Non obstitit huius pœnitentiæ supplicij atrocitas, qui se diris tormentis subiecerat patienter. Quare discamus, si & nos scelerum pœniteat, absq; dissimulatione, ubi opus erit, detegere, nec refugere pœnam quam meriti sumus. Hæc unica ratio est, qua sepeliamus peccata nostra coram Deo & Angelis: non oportet Christianos ea, ut proh dolor à multis hodie fit, uarijs depingere coloribus, & apud homines fucare, nosq; facere iustos. Vere hic dignos pœnitentiæ fructus fecit. Docemur igitur ex his Latronis uerbis, nos omnes propter peccata miserijs & morti subiectos.

Etos, nec tamen propterea sentire debere nos à
Deo abiectos esse, quia affligimur. Pergit autem
dicere, *Hic autem nihil mali fecit*) poenam
quæ communis erat sibi & socio infligi & iuste
imponi fatetur, non autem Christo, quem non
proprium crimen, sed hostium crudelitas ad
mortis supplicium rapuerat. Nunc inter alia &
uaria tegumenta, quæ captat hypocrisis etiam ho-
die apud multos, hoc maxime solet esse commune
quod quisq; alios secum inuoluat, ut eorum exem-
plo se excuset: Latro econtra non minus sollicitè
Christi innocentiam asserit, quàm simpliciter &
libere se & socium condemnat. Et hoc est cer-
tum iudicium animi, sese accusantis, & non hoc
agentis, ut propria peccata extenuentur. Nos igitur
Christiani notemus, quod à poenæ consortibus
& in extremo constitutis excusetur Christus, &
testimonium innocentiae accipiat, quia solet esse
magnum plerumq; testimonium ante mortem &
exitum, datum. Viderat & audierat in communi
damnatione multa, quæ indicabant, Christum in-
nocentem, habet ergo Christus ab ipsis Phariseis,
à Iuda proditore, à Pilato aliquoties, & ab eius
uxore, etiam ab Herode, & ab hoc Latrone iam
iam morituro, testimonium suæ innocentiae, quia
propter nostra peccata passus est. Et ecce iam hoc
uerbo Latro ille condemnat omnium scribarum

Et Phariseorum iniustam sententiam Et concilia
eum eorum, tum etiam iudicium Romani Praesidis
Pilati. Hæc fuit prima concionis Latronis de pœ-
nitentia pars, unde colligitur, cum propositum esse
Euangelij doctorem, Et quidem melius intellexis-
se ex Spiritus sancti gratia doctrinam de pœni-
tentia, Et de pœnitentiæ fructibus, in perferenda
cruce, Et constantia confessionis inter ærumnas
Et in media morte, quam Petrum Et Apostolos eo
tempore uel nunc etiam omnes pontificios. Quia
non solum ipse fatetur peccata Et increpat petu-
lantiam socij, sed quoq; ipsum inuitat ad pœnitentia-
m, accusat se Et socium, Et Christum excusat,
innocentemq; pronunciat, Et Magistratus ordi-
nationem approbat, est patiens, perfert modeste
commeritas pœnas, condemnat iniquitatem Pha-
riseorum Et aliorum in Christum, Et ipsius inno-
centiam tuetur, uere ergo ueros fecit pœnitentiæ
fructus, etsi manibus Et pedibus cruci affixus Et
ligatus, tantum compos linguæ esset.

SEQUITUR NVNC LO-
CVS TERTIVS HVIVS CON-
cionis, qui est de fide Latronis dexteri,
admirabili.

Memento inquit mei cum veneris in
regnum tuum) Diximus de pœnitentia
Latronis,

Latronis, & de dignis poenitentia fructibus, scilicet confessione, praedicatione, & obiurgatione impietatis in sinistro, & de defensione innocentie Christi à calumnijs. Iam sequitur uiuæ & admirabilis fidei ac fiducia exemplum, quo an unquam memorabilius extiterit exemplum aliud, dubitatur. Cum uidet socium in sua obstinatione perseuerare & tacere, is rebus suis consulit, conuertit se ad Christum. Iam cogitemus, qualis tunc fuerit Ecclesia. Christus istius caput pendeat in cruce morti uicinus & infirmitati obnoxius, & sufferebat probra & blasphemias. Qualis nam erat Christus in oculis externis Latronis? nihil aliud quam Latro, quam desertus tam à discipulis quam ab omnibus, & quasi à Deo ipso. Nihil quoque diuini auxilij in exitu apparebat, adeo ut ipse etiam clamabat, Deus meus ut me deseruisti? In illo ridebantur capita salutis nostræ, quod scilicet se Christum & filium Dei fecisset, Sacerdotes & milites, totus denique populus conuertiabantur Domino, & eius potestatem regiam, & omnia quæ gesserat infandis modis subsannabant, & hoc ipsi etiam pontifices summi faciebant, & scribae ac Pharisei. Et forte cogitare potuisset, non frustra isti eum deludunt cum sint docti, pii & ueram teneant religionem, & agnoscant certe eum seductorem esse: ipsi etenim sedent in successione

Moyſis & Aaronis, ſunt ſacerdotes Domini, non
igitur in ea re errant, ſed ipſe talia non cogitat,
non mouetur eorum proteruia, ſed agnoſcit iſtum
regem et Dominum, quem ipſi in concilio ſuo dā-
nauerant. Non curat illud, nec eum mouet, quod
nudum uideat in cruce affixum, et miſerè penden-
tem, quod ſors fuerit miſſa ſuper ueſtimenta eius,
et eorundem diuiſio facta à militibus. Non hoc in-
tuetur Latio, quod Chriſtus cruce affixus non ha-
buerit ubi caput reclinaret. Et ſi forte antea de
Chriſto audierat et de ipſius miraculis, quid quæ-
ſo nunc uidet? Interim in Schola etiam Chriſti cū
Apoſtoliſ non edoctrus erat, ſed ſe nephandis cæ-
dibus efferendo polluerat, & conatus fuerat oma-
nem ſenſum recti extinguere, omneſq; iugulare et
interimere. Nunc autem repente altius penetrat
quam apoſtoli omnes & reliqui diſcipuli, in qui-
bus docendis tantum operæ poſuerat Dominus per
triennium integrū: imo fuit doctior Apoſtoliſ, qui
tam antè, quàm poſt reſurrectionem ſomniabant
ſibi externū regnum in Chriſto, ut uidere eſt Lu-
24. & Act. 1. Nos ſperabamus ipſum redempturū
eſſe Iſrael? Item, Nunquid hoc tempore reſtituiſ
regnum Iſrael? Viderant iſti miracula innumera,
audierant aperte de regno Chriſtū docentē et poſt
reſurrectionem inſtruentem eos, aperientemq; eis
mentem ad intelligendam ſcripturam, & expli-
cantem.

cantem. Interim ipsi toties instructi de resurre-
ctione, parum proficiunt, imo magis fugiunt, &
hærent adhuc in externo regno, quod sibi som-
niarunt. Hic uero longe doctior apparet cum ait:
Memento mei Domine cum ueneris in regnum
tuum) hoc dicit moriturus morituro, quanto me-
lius quam Petrus Apostolorum Coryphæus, qui
postquam de mysterio mortis Domini audierat
Matthæi 16. Vbi paulo ante eum autorem uitæ
confessus erat, quemadmodum & Ioannis 6. Mox
putat mortem Domini ipsi impedimentum fore rea-
gni administrandi. Hic enim econtra agnoscit
per ipsam crucem ac mortem suam, Christum in-
gressurum mox esse regnum uerum, quem Petrus
etiam ad Ancillæ uocem negauerat, hic fatetur
Dominum, quem omnes explodunt tanquam re-
iectitium, qui omnium uidetur esse miserrimus, &
quem nemo honorat, uel præter Latronem inuo-
cat, hunc ipse dominum & salutem suam pro-
nunciat, imò Christum in patibulo miserè penden-
tem, Regem adorat, quem sine dubio Apostoli ex-
tingui timide putant, quem & Pharisei tanquam
omnium abiectissimum reijciunt, hunc adorauit
quasi in gloria sedentem, regnum eius celebrat in
horrenda & plus quam deformi abiectioe, mori-
bundum et desertum nunc cum morte luctantem in
cruciatibus et doloribus, uitæ autorem pronunciat.

Apostoli

Apostoli anxie opinantur, iam actum esse cum illo,
preserti mecum tam miserè occideretur & non e-
rigeret statim externum, ut sibi somniarunt, re-
gnum. Pharisei quoq; regnum eius aliquoties de-
sident, & nullum omnino esse credunt: Milites
hoc arundineum & nihili faciunt. Et hic solus a-
gnoscat et celebrat regnum Christi, positus in crua-
ciatibus & doloribus, iamq; morti uicinus. Si alia-
quis Apostolus pependisset à latere Christi, & pro
ipsius Christi nomine & fide cum Christo mor-
tem patiens hæc dixisset, nemo adeò miraretur:
iam uero omnes hanc confessionem & mirantur
in Latrone flagitioso, & iuste quidem mirari de-
bent, qui ut nec fuit Apostolus, ita nec discipulus
uel sectator Apostolorum, uel Christi unquam fuit.
Certe si etiam antea imbutus fuisset recta fide,
& multa de Christi officio prius audiisset, mira-
culis ue in hac fide fuisset deinceps confirmatus,
offusa tamen tam probrosæ mortis caligine eua-
nescere potuisset illa siue cognitio, siue fides.
Nunc rudem ac nouitium, imo etiam mente cor-
ruptum, item horrore anxium propter cruciatus,
statim à primis rudimentis in cruce etiam malca-
dicta salutem apprehendere, & coelestem glori-
am intueri, plus quam admirabile fuit. Quibus
enim notis uel insignibus uidebat Christum orna-
tum, ut mentem ad ipsius regnum attolleret? Quid
nam

nam aliud erat, quam ex profundis inferis supra
coelos demergere? Carni reuera hoc est fabulosum,
eum pro rege agnoscere, quem totus spreuit mun-
dus, quem etiam minimi quique condemnarunt. Est
carni ridiculum, reiectio quem mundus ferre
non poterat, regnum terrenis omnibus Imperijs
nobilius et excellentius tribuere? Hinc colligamus
quam perspicaces fuerint illius mentis oculi, qui-
bus uitam in morte, celsitudinem in ruina, gloriam
in probro, uictoriam in exitio, regnum in serui-
tute intuitus est.

Hæc autem fides in Latrone nititur tantum
misericordia Dei, nullum enim hic fuit meritum,
sed Dei gratia, ut hinc discamus, omnes ita debere
sibi misericordiam Dei applicare, quia nemo sal-
uatur aliter quam hic: Nec enim nos adferimus
merita ad Deum, aut etiam adferre possumus, sed
sumus rei iræ Dei et mortis æternæ, ut hic latro
erat, sicut Paulus ait Rom. 3. ut omne os obture-
tur et sit reus totus mundus Deo. Latro etiam ag-
noscit suam confusionem, iuxta illud Danielis 9. Ti-
bi Domine iusticia, nobis autem confusio. Confugie
igitur ad misericordiam Dei, agnoscit Christum
sacerdotem et propitiatorem pro peccatis nostris
in cruce, et ait: Memento mei) quod plus est
quam miserere mei. Sic quoque filius Iacob, Ioseph
in carcere ad pincernam ait, Genesis 40. quia
quoties

quoties diligentissime cupimus causam nostram
commendatam, dicimus, gedenc̄ meiner oder ges
denc̄ an mir, etiam absens. Agnoscit Dominum,
qui eum in morte seruet, agnoscit regem, qui Dia
bolum superet & ipsum in tutelam suscipiat. Hæc
uerò fides non est historica, qualis est in Dæmo
nibus, qui credunt & contremiscunt, teste Iaco
bo Apostolo, sed totam fiduciam in ipsum posuit
animo tranquillo, agnoscens ipsum solum propi
tiatorem pro peccatis, Regem item & Dominum,
& sic ipsum uere inuocat, nitens sola eius gratia
& misericordia. Alioqui ipse per se erat latro &
sui latrocinij gratia, morti adiudicatus in ipsa
cruce, eiq; uicinus, & iam in cruciatibus pendens
& in extremo hærens spiritu non ueretur dicere:
*Domine, Memento mei cum ueneris in
regnum tuum.* Cur petit sui recordationem fieri
à Christo, num ob hoc, quòd unà cum altero La
trone & cum Christo ipso crucifixus esset? At
id de altero quoq; recordari poterit, deinde non
pro nomine Christi sed latrocinij gratia mortem
promeritus in cruce pendet, unde igitur ille, qui
æternam mortem & iram Dei cum Gehema meri
tus erat, audet dicere: Memento mei Domine
cum ueneris in regnum tuum? Ex sola fiducia era
ga Christum saluatorem, peccata namq; sua ag
noscit, & ueniam ex animo precatur, nititur boni
tate

Rate & merito unius Christi saluatoris, non suis
operibus uel meritis. Si opera & merita sua re-
spexisset, potius dixisset: Domine, ne recorderis
mei, sed potius in sempiternum obliuiscaris mei.
Verum ille fedit Christo & eius innocentie, exi-
stimans iuxta illud Apostoli, etsi sua sint multa
peccata & copiosa, plus tamen esse apud Deum
gratie propter Christum, & maioris esse meriti
ac pretij innocentiam & passionem Christi, quam
sua peccata. Sed pergamus eius uerba expendere.
In regnū tuum) tuū ait, quod separat à mundano,
imo quod in morte etiam æternum uidet. Et sic
ostendit se rationem habere uitæ æternæ ac futu-
ræ, ac non curare amplius uitam temporalem, &
plane alienum esse ab impijs, qui dicunt teste Salo-
mone in libro sapie. ca. 2. posthac erimus tamquam
non fuerimus, extinctus cinis erit corpus nostrum,
& spiritus diffundetur tamquam mollis aër. Ob-
liuiscitur præsentis seculi pariter, & cruciatuum
quos mortiferos ferebat, & tunc omnibus post-
positis, totus ad habendam futuræ uitæ rationem
rapitur & conuertitur, nihil aliud cogitans, quam
ut illam consequatur beatitudinem in Christo.
Quod si latro Christum in cruce pendentem, &
quasi maledictioni obnoxium, & obrutum calum-
nijs, fide sua in solium coeleste euexit, ipse in tor-
mentis positus moxq; moriturus, Væ, uæ nostræ
socordie

Memoriae, si non reuerenter suscipimus à dextris
Dei sedentem in gloria & potentia Patris, si eti-
am non spem uitæ in eius resurrectione figamus,
si non intendamus fidem in coelum, quò ingressus est
Christus toties nos admoniti & per conciones &
lectiones edocti. Discamus & nos libenter amitte-
re ita temporariam uitam, ut æternam ac futuram
sollicite inquiramus. Sed contrarium, proch dolor,
in nobis uerum est, ut experientia docet quotidia-
na. Quenam est apud nos (dicite, proh dolor) in
calamitate uel doloribus positos fiducia inuocan-
di filium Dei, etiam ad dexteram patris seden-
tem in gloria? Quæ inquam est in tentationibus
perseuerantia & constantia? Quæ in anxietatibus
spes? Ah omnia ista in nostro etiam corde fluctu-
ant. Doceat igitur nos hic latro, qui horribiles
Diaboli tentationes, sola fiducia & spe in Chris-
tum posita, superauit, & suorum dolorum ob fu-
turum Christi regnum oblitus est: Imo hic latro
his dictis ostendit hominem non mori uel perire,
sed per mortem transire ex præsentis seculo in ui-
tam æternam, ex miseris in gaudium, & mor-
tem nobis nunc uere esse transitum: Et hæc cura
de uita æterna & gaudio regni coelestis infirma-
tur plerumq; in nobis, imo plane conculcatur in
rebus prosperis per securitatem, excitatur autem
tristibus, foueturq; in cruce tentationibus apud
fideles

fideles spes et fides ipsa, quæ in his suum habet ex-
ercitium, ut proficiat de die in diem. Vtinam hoc
nos homunciones cognosceremus, exemplo Latro-
nis moniti. Iam rursus ex altera parte reputemus,
in quo primùm statu Christi misericordiam im-
plorauerit, ut crescat apud nos fidei illius maior
admiratio, nimirum lacero corpore, in doloribus,
iam propemodum exanguis extremam manuum
carnificum expectans, cruci affixus, esertus et af-
flictus miserè, tamen in sola Christi gratia acqui-
escit. Sed primùm unde illi ueniæ fiducia, nisi quia
in sola Christi morte (quæ alioqui ab omnibus alijs
detestabilis esse uidebatur) sacrificium boni odo-
ris concipit, ad expianda mundi delicta efficax.
Et tu miser, terq; quaterq; pessime, nec corpore
lacero, nec in isto timore, uel in ista anxietate po-
situs, sed quotidie in Euangelij concione & lectio-
ne, audituq; uersans, hanc non habes fidem, eti-
am in minima parte. Ipse uerò cruciatus suos
animose negligens, imo quasi suiipsius prope-
modum oblitus, ad spem & ad desiderium oc-
cultæ uitæ rapitur, quod quidem humanum sensu
longe superat, *er flaget gar nichts/er fürcht
tet noch ergettert nicht einmal für die anköm-
mende Zerstörung / qui crura fracturi erant.* Qua-
re nos simul & mortificationem carnis, & pa-
tientiam, & fidei altitudinem, & spei constan-
tiam,

C

tiam,

tiam, & pietatis ardorem ab hoc uno discamus
Magistro, non pudeat, inquam, nos plus quam in-
fideles ad ipsum relatos, ab hoc uno doctore om-
nia salutis & fidei officia percipere. Et uerè hunc
Dominus, ad humiliandam carnis superbiam, no-
bis omnibus præfecit. Nam ut quisq; alacrius eum
sequetur, tantò propius ad Christum accedet.

SEQVITVR NVNC LO-
CVS QVARTVS QVI EST DE
efficacia fidei, vbi & facilitas
Christi & promptitudo om-
nes iuuandi, cognoscitur.

TAndem sic respondet latroni Christus: Amen
dico tibi) Vide nimiam CHRISTI affabi-
litatem, quam etiã in media morte exhibuit com-
morituro Latroni. Nuper dictum est, quàm affa-
biliter & benignè egerit cum profugis Apostolis
post resurrectionem, item cum uno Thoma incre-
dulo, tum etiam cum deficiente & abnegante
Petro, quomodo illos ipsos exhibitione manuum
& pedum ac lateris sui, non solum adiunctis blan-
dissimis uerbis confirmare uoluerit, sed edcrit e-
tiam coram ipsis, ut planè de sua resurrectione
essent certi. Verum hoc mirum est, Christum
quoq;

quoq; eandem bonitatem, pietatem & misericordiam, in media morte non solum retinere, sed & exercere in ipsis cruciatibus, in lucta illa & pugna cum aeterna morte & ira Dei aduersus peccatum, ut tunc adhuc nihil aliud potuerit respondere, ipsius misericordiam imploranti, nisi blandissimis uerbis: Hodie mecum eris in paradiso. Et ipsum fore participem aeterni gaudij secum, statim promittit, & quanquam tunc pro istius Latronis et hominum omnium peccatis pateretur Christus, ut merito ei exprobrare & obijcere potuisset, se istius & aliorum peccatis deprimi, tamen omnia ista praeteriens, potius hoc unum agit, ut eum confortetur, ne desperet, ne dubitet & diffidat. Non est etiam in tantis doloribus mordax erga Latronem, non ferox uerbis, in ista abiectioe & delusione, non contumax uel petulans ob amaritudinem dolorum, sed placidus & benignus ipsum etiam Latronem erigit, fulcit, munit, & roborat aduersus futuram mortem, ut letus hinc discedere possit. Discamus ergo hic immensam & ineffabilem bonitatem Christi Iesu, etiam in tanta calamitate non omissam. Et licet de morte nondum triumphauerat, eius tamen fructum & efficaciam in media sui exinanitione exerit, & hoc modo declarat, se nunquam regni potentia fuisse exutum. Nihil enim regno diuino magis excelsum aut ma-

C 2 gnifia

gnificum, quàm mortuis uitam restituere. Christus ergo etsi manu Dei fuerit percussus, & specimen hominis deplorati præbuerit, quia tamen non destitit esse mundi saluator, cœlesti potentia semper fuit præditus ad munus suum implendum. Notanda igitur est incredibilis facilitas, quòd sine mora Latronem, & sine ulla exceptione, uel aliqua conditione interposita, humanissimè complectitur, sibiq; beatæ uitæ socium fore promittit. Quare minimè dubium est, quin sine exceptione in regnum suum omnes admittere paratus sit, qui ad eum confugient, unde certò statuere licet, modo memor sit nostri, nos saluos fore. Porro fieri non potest, ut eorum obliuiscatur, qui ei suam salutem commendant. Quod si Latroni tam facilis transitus in cœlum fuit, quia in ultima rerum omnium desperatione recubuit in Christi gratiam, multò magis hodie Christus mortis uictor manum è solio suo nobis porriget, ut in uitæ societatem colligat iam è morte resuscitatus, & superatis doloribus & aduersis, præsertim cum promiserit se nobis adfuturum omnibus diebus seculi. Absurdum etiam esset, ex quo Chirographum nobis contrarium affixit cruci, mortemq; et Satanam profligauit, et in sua resurrectione (ut dictum est in die paschatis) triumphum egit de mundi principe, nobis non æquè facilem & promptum esse, ac Latroni, transitum

situm à morte in uitam. Quisquis ergo uera fide
animæ suæ custodiam Christo moriens tradet, non
extrahetur in longum tempus, ut suspensus languet
at, sed eius uoto eadem, qua erga Latronem usus
est, benignitate Christus occurret. Difficile esse
creditur, tantam esse bonitatem Dei erga peccatores,
ut sola fiducia & inuocatione nominis Dei
per Christum, absq; meritis operum saluentur, sed
hic ad succurrendum infirmitati nostræ asseuerationem
præmisit, dicens (Amen dico tibi.) quasi
dicat, ne dubites. Sic ubi fidei salutem & uitam
æternam tribuit Iohannes, cap. 5. & 6. eadem asseueratione
utitur. Sed ait hodie, Hodie, non dicit aliquando,
dies uidebatur acerba, dies mortis & irrisionis,
sed illi non fuit foelicior, quàm ista quæ aditum
præbet in paradisum. An non fide ac certa ista
fiducia prædito, gaudendum magis erat de uicinitate
paradisi, quàm de passione & uicinitate mortis?
Tanta est paradisi & crucis distantia, ut uno &
eodem die possimus esse & in cruce & in paradiso,
hoc est, miserum & foelicem esse simul, in uita &
in morte esse. Hinc factum est ut fortiter adhuc
fractionem crurium superauerit, quia post Christum
extinctus est. Nec obstat quòd latro pœnam cui
addictus erat, nihilominus ad extremum usq;
sustinet, quia hic nulla compensatio nobis
fingenda est, quæ ad placandum Dei iudici-

um piaculi uice sit, quemadmodum Sophistæ de-
clarant: Sed pœnis corporalibus simpliciter electos
suos Dominus ad displicentiam & odium peccati
erudit. Itaq; Christus Latronem paterna discipli-
na ad sui abnegationem adductum, quasi gremio
suo excipit, non ad purgatorium ignem ablegat.
Nam non ad Apostolum aliquem ait, Hodie me-
cum eris, sed ad latronem pessimum, ut sciamus,
peruersissimos quosq; , si in extremis etiam uerè
pœnitentiam agant, & Christo fidant, rectam ui-
tam consequi, sine ullo interiecto purgatorio igne.
Et est putidum quoq; commentum Sophistarum de
pœnæ retentione, quum culpa remittitur, quia ui-
demus, ut Christus, quem à reatu absoluit, simul à
pœna liberet. Notemus ergo, quibus clauibus La-
troni aperta sit ianua regni cœlorum. Neq; enim
hic uel papalis confessio, uel satisfactiones in ra-
tionem ueniunt, sed pœnitentia & fide contentus
est Christus, ut ad se uenientem ultrò excipiat.
Hinc, Hodie, ait, & Mecum. Non dicit simpli-
citer, eris, sed mecum. Cum Domino Christo sunt
sanctorum animæ. Sic ait & Apostolus: Cupio dis-
solui, & esse cum Christo, Philip. I. Quare sicut
iam tum fructum suum protulit mors Christi, ita
hinc colligimus, animas, ubi à corporibus migra-
runt, superstites uiuere, & cum Christo esse.
Hinc & Stephanus ait: Domine Iesu suscipe spi-
ritum

ritum meum. Vt autem olim paradifus hortus de-
litiarum in terris fuit noftris primis parentibus,
circa Zoar, Genesis 13. datus, ita nunc metapho-
ricè (quia dum erant in paradifo primi parentes,
in gratia ante peccatum, extra mortem fuerunt)
pro gaudio coeli ponitur, quod animabus immor-
talibus continget: Ita & hic, & 2. Corinth. 12. ubi
dicit fe Apoftolus, raptum in tertium usq; coelum,
& in paradifum, fumitur: Vbi mox translatus
eft, & ibidem adhuc agit Latro cum Chrifto. In
hoc autem paradifo, & delicato horto omnis fpe-
cies amœnitatis confpicitur, & non auium, fed
dulcifonus auditur angelorum cantus & c. Sed his
tamen uocibus fcribit Euangelifta, non mitigatos
illi fuisse dolores, aut miferias leuatas, uel de cor-
porali pœna ei quicquam diminutum efle, quo ad-
monemur, non efle æftimandam gratiam Dei car-
nis fenfu. Sæpe enim acerrimè affliguntur p̄ij, qui-
bus tamen Deus eft propitijs. Si ergo fecundum
corpus affligimur, cauendum tamen eft, ne gultum
diuinæ bonitatis nobis adimat doloris acerbitas,
quin potius mala omnia temperet ac leniat hæc
confolatio. fimul ac fauore fuo nos complexus eft
Deus, quicquid malorum perpetimur, nobis adiu-
mento efle in falutem. Quare ficut in Latronis
perſona commune obtinendæ ueniæ pignus nobis
omnibus Chriſtus dedit, fic rurfum tanto miferum

illum dignatus est honore, ut omni propria gloria excuti non nisi in una Dei misericordia gloriemur. Quod si igitur uerè & serio se quisque nostrum excutiat, meritò nos pudefaciet immensa scelerum nostrorum congeries, ut hominem perditum, qui mera gratia salutem adeptus est, ducem & antesignanum habere minimè pigeat &c.

Audiuimus igitur quatuor partes in hac conuersione. In prima dictum est, de securitate impiorum, quomodo isti admonitiones contemnant, et sine timore Deisint. In secunda de uera alterius latronis poenitentia et eius fructibus. Deinde in tertia parte eximiam percepimus fidem latronis in Christum, & quomodo reiectis his bonis et mundi regnis, neglectisque cruciatibus, ad unicum & solum regnum Christi aspirauerit. In quarta & postrema uerò parte didicimus ineffabilem & immensam bonitatem Christi, quam etiam in cruciatibus summis & maximis, erga latronem exercuit, multò magis nunc extra cruciatum in gloria patris positus, ac Ecclesie suae caput existens, est eandem uel maiorem etiam exhibiturus gratiam, si ei fidamus cum Latrone, ut scilicet ex hac miseria ad paradysum illum coelestem transferamur leti, quod nobis Christus filius Dei pro nobis crucifixus et resuscitatus praestet, Amen.

TESTI

TESTIMONIA
VETERVM DOCTORVM
IN ECCLESIA DE FIDE
dextri Latronis admirabili, & quod
non aliter saluentur & iustificentur homi-
nes, quàm iste est sal-
uatus.

ORigenes in Matthæum tractatu 35. Ille La-
tro qui saluatus est, potest esse mysterium
eorum qui post multas iniquitates crediderunt in
Christum, & dixerunt Christo, confixi sumus &
configurati in morte Christi. Et semper dicunt
filio Dei, memor esto nostri cum ueneris in re-
gnum tuum, et ideo in paradiso sunt cum ipso &c.

Cyprianus in sermone de passione Domini:
In cruce latro confitens, non tantum indulgentiam
meruit (intellige ex gratia) sed Christi familia-
ris effectus, præmissus est in paradisum, & factus
est particeps regni &c. Et mox: Considero Do-
mine te in illo patibulo, ubi uidebaris sine adiuto-
rio, quomodo imperatoria potestate Latronem
præmittis ad regnum, & in cuius assumptione iam
manifestè constat, quantum apud derelictos pro-
feceris, quorum primus iste, gloria & honore co-
ronatus,

C S

ronatus,

ronatus, ipsa die paradisi ciuis & domesticus curiæ
coelestis efficitur &c.

Chrysostomus tomo 5. homilia 31. de cruce &
Latrone:

Imperatori uel cuilibet habenti potestatem,
iniuriosum putatur, si personam uilissimam parti-
cipem sui actus accipiat: Christo autem nostro non
iniuriæ fuit, sacram ingredienti patriam, facere
ingressus sui participem Latronem. Nam secum
illum perduxit, non confundens calcantibus La-
tronis pedibus paradisum, sed honorem præstans
paradiso. Item: Veluti medicos, qui, de quibus de-
speratum erat, restitunt infirmos, admiramur,
sic iustum est demirari Christum nostrum, donan-
tem uulneribus sanitatem, publicano & meretrici
remedium pollicentem, & eis salutem perpetuam
largientem. Quid egit Latio, ut post crucem pa-
radisum mereatur? Vis enim audire uirtutem?
Quando Petrus cum negauit in terra, ille cum
confitebatur in cruce. Primus discipulus puellæ
uilissimæ minas tolerare non potuit, & Latio su-
spensus tormenta ipsa spernens, & undiq; popu-
lum inspiciens circumstantem, clamantem, ingenti
ardentem rabie, omnium iniquitatum scelere fue-
rentem, blasphemis inflammatum, non timuit, nec
crucifixi uilitatem, quæ uidebatur, inspexit, sed
fidei oculis hæc cuncta transiuit, & humilibus
spretis

spretis cogitationibus, cœlorum Dominum exaltatum pura mente cognouit, & ipsius misericordiam in cruce flagitauit dicens: Memento mei. Item: Christus non ipsum (Latronem) uocauerat ut Petrum, dicens, sequere me & faciam te piscatorem hominum: Non dixit ad eum sicuti ad duodecim: Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes domum Israël, nihil admirationis ei ostendit, non mortuos resuscitauit, dæmones non fugauit, non mare prostrauit, nullum ei fecit de regno cœlorum sermonem, nihil de gehenna locutus est, & ante omnes, eius imperium petit & confitetur. Et mox: Confitetur peccata, nos pro meriti sumus, digna his quæ fecimus, passi sumus. Vidisti plenam confessionem, uidisti Latronem in cruce suis renunciaisse peccatis. Nullus impulit, nullus necessitate constrinxit, sed ipse sponte sua peccata publicabat dicens: Nos iuste patimur. Non est ausus dicere, Memento mei, nisi confessione peccati sarcinam remisisset. Inspice quantum præstat confessio: Confessus est, & paradisum patefecit, & totam confessus fiduciam meruit, ut regnum post latrocinium postularet. Regnum postulas latro, & quid regni uides? Clauis & crux est quod inspicias. Sed ipsa crux, inquit, regnum est, & ideo eum regem nomino, quia crucifixum inspicio.

Idem homilia 32. de cruce et Latrone ibidem.

Exijt

Exijt præuaricator de Paradiso, & Latro
intrat, exijt contemptor uerbi, & introijt confi-
tens uerbum, exijt contemnens salutem, & introijt
de cruce mercans salutem. Vim facit hic Latro
maiestati, non uirtute propria, sed fide uincens.
Propter unum peccatum damnatur Adam, &
propter ueram fidei uocem latro saluatur, unum
peccatum eicit illum, & una iusticia introduxit
istum, & latro habitator factus est paradisi. Item.
Credidit Abraham Deo, sed de cœlo loquenti, cre-
didit Esaias, sed in gloria consistenti, credidit
Ezechiel, sed & ipse Dominum super Cherubim
contemplatus est, crediderunt reliqui Prophetæ,
sed diuerso modo Dominum gloriæ intuentes. Cre-
didit Moyses, sed de medio ignis loquenti & in
tubæ clangore. Sed hic uidet saluatorem non sus-
per throno regali, non adorari in templo, non lo-
quentem de cœlis, non per Angelos disponentem,
sed in pœna sociatum Latroni, uidet in tormentis,
& tamquam in gloria adorat, uidet in cruce, &
rogat quasi in cœlis sedentem, uidet condemnatum
& regem inuocat: Crucifixum uides, & regem
prædicas, in ligno pendere cernis, & cœlorum
regna meditaris: O admiranda Latronis conuersio.
Numquid nam Prophetas audisti homicidia
exercens? numquid diuinum audisti sermonem,
quando ad cædem acuebas gladium? Vnde eru-
ditus

ditus es talia philosophari de Christo? Iudæi crucifixerunt & legerunt legem & Prophetas, & tu horum ignarus, Deum uocas condemnatum, & adoras crucifixum? Quis te erudiuit ô latro talia de eo dicere? Non me, inquit, lex docuit, sed occultans lumen suum Sol.

Sunt et hæc aurea Ambrosij uerba de Latrone. Fides est quæ peccata operit, quæ uincit crimina, quæ facit de Latronibus innocentes. Item: Sicut sufficit Iudæ ad scelera deseruisse Christum, ita illi (latroni) sufficit ad innocentiam Domino credidisse.

Quid hic aliud dicitur, quàm Latronem & quemlibet alium hominem iustificari sola fide?

Item Hilarius canone 33. super Matthæum: In ligno uitæ cunctorum salus et uita suspenditur, cui duo latrones à leua ac dextra affiguntur, omnem humani generis uniuersitatem uocari ad sacramentum dominicæ passionis ostendentes: Sed quia per diuersitatem fidelium atq; infidelium, fit omnium secundum dexteram sinistramq; diuisio, unus ex duobus ad dexteram situs, fidei iustificatione saluatur &c. Quæ uerba nota Lector.

Leo Papa Roma. sermone 2. de passione Domini. Crucifixi sunt cum illo statutis utrinque partibus Latrones duo, quorum unus usq; ad id temporis par similisq; consorti, insidiator uiarum, & saluti

saluti hominum semper infestus, usq; ad crucem
reus, fit Christi repente confessor, & inter illos
acerrimos corporis animiq; cruciatus, quos simul
& instantia & difficultas mortis augebat, mira
conuersione mutatus, Memento, inquit, mei Do-
mine dum ueneris in regnum tuum. Quæ istam fi-
dem exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit?
quis prædicator accendit? Non uiderat prius acta
miracula, cessauerant tunc languentium curatio,
cæcorum illuminatio, uiuificatio mortuorum, ea
ipsa quæ mox erant gerenda non aderant: & ta-
men Dominum confitetur & Regem, quem uidet
supplicij sui consortem esse. Inde ergo oriebatur
hoc donum, unde accepit fides ipsa responsum.
Ait enim Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris
in paradiso. Excedit humanam rationem ista pro-
missio, nec tam de ligno crucis, quàm de throno
editur potestatis.

Idem Leo Papa sermone 4. de passione Domi-
ni: Iesus Christus filius Dei, cruci, quam ipse etiam
gestauerat, adfixus est, duobus Latronibus, uno ad
dexteram ipsius, altero ad sinistram similiter cruci-
fixis, ut etiam in ipsa patibuli specie monstraretur
illa, quæ in iudicio ipsius omnium hominum est fa-
cienda discretio, cum & saluandorum figuram fi-
des credentis Latronis exprimeret, et damnandorum
formam blasphemantis impietas denotaret.

Augustinus

Augustini uerba sunt hæc. Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit. In medio enim constituto iudice, unus latro qui credidit, liberatus est, alter qui insultauit, damnatus est. Iam significabat quid facturus sit de uiuis & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram. Iudicabatur, & iudicium minabatur. Dixisti Latroni, Hodie mecum eris in paradiso, ut desit desperationis locus. Qui parcis Latroni, ut ostendas fructum poenitentiae, fontem misericordiae, celeritatem indulgentiae, tu saluas Latronem seipsum accusantem, teipsum excusantem, misericordiam inuocantem, & blasphemantem socium increpantem.

Sunt & hæc Hieronymi uerba. Christus de cruce Latronem in paradisum intulit, ne quis conuersionem aliquando seram putaret. Homicidij poenam fecit martyrium, cum iniquis ueritas deputata, unum reliquit sinistrum, alterum assumpsit dextrum, sicut in die iudicij faciet. Confessio breuis uitam acquisiuit longam, & blasphemia finita, poena plectitur eterna.

Beda in Lucam. Quis huius Latronis animum non miretur? imo iuuantis Dei gratiam quis dignè miretur? digna gratiarum actione ueneretur? In cruce clauis manus eius pedesq; ligauerant, nihilq; in eo à poenis liberum, nisi cor & lingua, remanserat, inspirante Deo totum illi obtulit quod
in se

in se liberum inuenit, ut iuxta hoc quod scriptum est, corde crederet ad iusticiam, & ore confiteretur ad salutem. In corde autem fidelium tres summo opere manere uirtutes testatur Apostolus dicēs: Nunc autem manet fides, spes, charitas, Quas cunctas subita repletus gratia & accepit & seruauit in cruce. Fidem namq; habuit, qui regnaturum Dominum credidit, quem secum pariter morientem uidit: Spem habuit, qui regni eius aditum postulauit: Charitatem quoq; in morte sua uiuaciter tenuit, qui fratrem & colatronem pro simili scelere morientem, & de iniquitate sua arguit, & ei uitam, quam cognouerat, prædicauit. Ille qui talis ex culpa ad crucem uenit, ecce qualis à cruce recedit ex gratia. Confitebatur Dominum, quem uidebat secum humana infirmitate morientem, quando negabant Apostoli eum, quem miracula uiderant diuina uirtute facientem. Et: Cum Dominus ait, hodie, pulcherrimum affectandæ conuersionis exemplum proponit, quod tam citò Latroni uenia laxatur, & uberior est gratia quàm precatio. Semper enim Dominus plus tribuit, quàm rogatur. Ille rogabat ut memor esset sui, Dominus dicit, hodie eris mecum in paradiso. Vita est enim esse cum Christo, quia ubi Christus, ibi regnum.

Lyra. Magna fides in Latrone, qui nec propter

pter acerbisatem poenae, quam sustinebat, nec propter infirmitatem carnis, quam in Christo uidebat, confessionem ueræ fidei omisit.

Glossa ordinaria. Magna gratia in hoc Latrone eminet. Nullum membrum à supplicio liberum habet, præter cor & linguam. Et reliqua habentur in glossa ordinaria, quæ Beda habet.

Et rursus in Glossa ordinaria, & apud Nicolaum Gorrannum hæc leguntur. Ecce quanta uirtus fidei in hoc Latrone, qui nec timore Iudæorum astantium, nec proprio dolore, nec socij sui blasphematione, nec Christi apparenti infirmitate, nec Apostolorum negatione, trahitur à ueritatis confessione. Item Gorrannus ex Hieronymo recitat, quæ antea nos apposuimus ex eodem, & addit: Semper Dominus plus tribuit quàm rogatur. Petebat enim Latro solum sui memoriam, & accepit gloriam sempiternam.

Ludolphus Carthusianus in uita Iesu. Dominus dicens: Hodie eris magnam consolationem dedit poenitentibus. Nam reuera hodie & quotidie ita accidit, quòd qui confitetur peccata, statim sit cum Domino in paradiso per gratiam, & postea per gloriam. Quàm liberalis, imo quàm prodigus factus est Christus, qui Latroni regnum, damnato paradisu pro breui petitione largitus est. Hoc uerbum magni amoris & gratiæ & con-

D

sola

solationis fuit, in quo Christus nobis exemplum perfectæ spei & fiduciæ reliquit, ut nullus de ueniâ peccatorum, quantumcumq; tenormium, nedum in uita, imò nec in mortis articulo desperare debeat, cum iste Latro, qui suo testimonio mortis supplicio dignus erat, ueniam & misericordiam consecutus est.

Rursum Augustini uerba cognoscamus, quæ extant libro I. cap. 9. de Anima & eius origine ad Renatum. Tanto pondere appensum est, tantumq; ualuit apud eum qui hæc nouit appendere, quod confessus est (Latro) Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Tunc enim fides de ligno floruit, quando discipulorum marcuit, nisi cuius mortis terrore marcuerat, eius resurrectione reuiuisceret: Illi enim desperarunt de moriente, ille sperauit in commorientem: Refugerunt illi autorem uitæ, rogauit ille consortem pœnæ: Doluerunt illi tanquam hominis mortem, credidit ille ipsum post mortem regnaturum esse: Deseruerunt illi sponsorem salutis, honorauit ille socium crucis. Inuenta est in eo mensura martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt qui futuri erant martyres.

Idem Augustinus lib. I. ad Simplicianum, quæstione 2. Verbum consummans & abbrevians, ait Esaias, faciet Dominus super terram, id est, ut
compens

compendio fidei per gratiam saluos faciat cre-
dentes, non per innumerabiles obseruationes, qui-
bus Iudaica Ecclesia seruiliter onerata premeba-
tur. Per gratiam quippe nobis uerbum consum-
mans & breuians fecit super terram, dicens: Iu-
gum meum leue est, & sarcina mea suauis est.
Quod & paulo post hic dicitur: Prope est uer-
bum in ore tuo & in corde tuo, Hoc est uerbum
fidei quod prædicamus, quia si confitearis ore tuo,
quia Dominus est Iesus, et credideris in corde tuo,
quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.
Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem fit
confessio ad salutem. Hoc est uerbum consummans
& breuians, quod fecit Dominus super terram:
qua consummatione atq; breuitate Latro iustifi-
catus est, qui defixis in cruce omnibus membris
suis, & habens libera hæc duo: Corde credidit ad
iusticiam, Ore confessus est ad salutem, statimq;
audire meruit: Hodie mecum eris in Paradiso.
Consequerentur enim bona opera eius, si percepta
gratia diu inter homines uiueret. Sed tamen non
ea præcesserant, ut eandem gratiam mereretur, ex
Latrocinio fixus in cruce, ex cruce in paradisum
translatus.

Idem Augustinus sermone 120. de tempore.
Christus seipsum confusione & opprobrio crucis
tradidit, ut Latronem glorificaret. Sed si bene

D 2 respi-

respicimus, non illi soli hoc præstitum esse deprehendimus. Nam dum tantum reum benignè relaxat, cum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conscripsit securitatem, ut consolatio ac spes fieret totius populi, absolutio unius desperati, & priuatum donum in publicum cresceret beneficium. Quare indubitanter credendum est, ut quod Latroni illi ad commendationem fidei suæ uenerat, etiam causa spei nostræ et utilitatis accesserit. Immensa enim Dei nostri bonitas libenter tribuit, quæ etiam generaliter profutura prænoscit. Et ideo iuxta fiduciam tantæ clementiæ, si quis nostrum crimina sua probabili conuersatione damnauerit, & in Christum toto corde crediderit, etiam cum Latrone in semetipso ingressum paradisi aperuisse se nouerit. Quanta autem sit in spe salutis humanæ magnitudo fidei, & altitudo diuitiarum misericordiæ Dei, & patientiæ magnitudo, ostenditur, cum hominem in sceleribus inuolutum, pœna misit ad innocentiam, & offensa perduxit ad gloriam. Quem saluti culpa perdiderat, perditio inuenit, cruciatus absoluit, damnatio consecrauit.

Item. Feruebat impietas persequentium, exultabat impietas blasphemantium, contritio, liuores & uulnera solum Christum hominem demonstrabant. Sacrarum manuum in ligno crucis extensio
&

Et reuerenda confixio, quæ condemnabat Adæ & Eue manus, ad interdictum ligni cibum ingemiscenda seculi transgressione porrectas, Hæc inquam confixio per omnia infirmitatem hominis assercbat. Illi se per latus Lanceæ tremenda percussio quantum ostendebat hominem, tantum abscondebatur Deum. Apostolis post diuina miracula desperantibus, solus hic (Latro) non acquiescit scandalo crucis & mortis. Solus hic testis est maiestatis, qui socius probatur doloris. Et ideo adhuc in Latrocinijs positus, inuisibilem Deum angelicis iam oculis uidet.

Idem sermone 130. Quid tali dignum quiete egerat Latro, ut post crucem quam meruerat, repente paradiso dignus iudicaretur? Vis breuiter dicam uirtutem fidei eius. Quando Petrus negauit deorsum, tunc ille confessus est sursum. Et hæc non ut accusans beatissimum Petrum locutus sum, quod absit, sed Latronis magnanimitatem ostendere uolens. Nam ille discipulus minas abiectæ puellæ non sustinuit, Latro uerò multitudinem totius populi uidens circumstantem, et clamantem insanas blasphemias, & opprobria atq; maledicta iaculantem, non attendit illis, non cogitauit uisibilem abiectioem eius, qui crucifigebatur: sed oculis fidei hæc cuncta transcurrens, & ut abiectæ & leuia ueritatis, impedimenta præteriens & relin-

D 3 quens

quens, cognouit Dominum coeli, & ait dicens:
Memento mei Domine in regno tuo.

Item: Nemo compulit, nemo uim fecit, sed ipse (Latro) se diuulgauit, ipse condemnauit dicens: Et nos quidem iuste digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit. Memento mei Domine in regno tuo. Non est ausus ante dicere, Memento mei Deus, quam per confessionem iniquitatis praeteritae sarcinam peccatorum deponeret. Vides quanta res sit confessio. Confessus est & paradysum aperuit: confessus est & tantae fiduciae robur accepit, ut de Latrocinio regnum deposceret, considerans quantorum bonorum nobis causa sit crux. Dico mihi Latro regnum petens, quid in eo tale uides ex quo petis? Dic mihi? Nam quod in conspicuo est, clauos & crucem cernis. Sed haec, inquit, crux, ipsa regni insigne est, & propter eam Iesum regem appello, quia uideo crucifixum. Opus enim regis est, uitam suam pro his, quibus regnat, opponere. Vnde & ait: Quia pastor bonus animam suam ponit pro ouibus. Igitur & rex bonus animam suam ponit pro his, quorum princeps est. Quoniam igitur animam suam posuit, ideo eum regem cognosco, & Dominum appello. Memento mei (inquit) Domine in regno tuo.

Haec ex concione Chrysostomi supra allegata, desumpsisse uidetur Augustinum.

Erasmus

Erasmus Roterodamus in Paraphrasi super
Lucam. Hoc testimonium Iesu reddidit in cruce
Latro, ut undequaq; testata esset illius innocentia.
Moxq; conuersus ad Iesum dixit: Domine memena
to mei, dum ueneris in regnum tuum. Mira fides
Latronis, qui cum uideret pendentem ac morien=
tem in cruce, moriturus & ipse salutem ueluti a
rege petit. Iesus autem qui mutus erat & surdus
ad omnia conuitia, non est surdus ac mutus cum
fiducia postulanti. Illud, inquit, confirmo tibi, ho=
die mecum futurus es in paradiso, nimirum requi=
em ac refocillationem pollicens mox a peracto
supplicio. Quam foelix est, semper adiungi
Christo Iesu, qui nusquam non seruat,
si modo adsit Euange=
lica fidu=
cia.

F I N I S.

Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to fading and bleed-through.

F I N I S



153538


AB: 153.531

ULB Halle

3

004 829 395





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



CONCIO DE

LATRONIBVS VNA

CVM CHRISTO CRUCIFIXIS,

qua vnus securitas, & alterius vera pœnitentia, fidesq; adeò mirifica describitur, vt Apostolorum & Prophetarum fidem superare videatur.

ADIECTIS EX PIA VETV-

state Patrum testimonijs, quòd non aliter

saluentur homines, quàm latro

dexter est saluatus.

Autore Hermanno Hamelmanno

Theologiæ Licentiato.

Cum prefatione D. Lucae Bacmeisteri.

ROSTOCHII

Excudebat Iacobus Lucius

Anno 1569.